

PONTIFICIUM CONSILIUM
DE LEGUM TEXTIBUS
INTERPRETANDIS

COMMUNICATIONES

VOL. XXI - N. 2

1989

COMMUNICATIONES

PONTIFICIUM CONSILIUM
DE LEGUM TEXTIBUS INTERPRETANDIS

PIAZZA PIO XII, 10 - 00193 ROMA

N. 2

Semestrale

DECEMBRI 1989

Sped. Abb. Postale - Gruppo IV - 70%

EX ACTIS IOANNIS PAULI PP. II

ALLOCUTIONES

- Allocutio Summi Pontificis ad coetum quendam Advocatorum Civitatum Foederatarum Americae Septemtrionalis, sodalium «International Academy of Trial Lawyers», coram admissum 107
- Allocutio Summi Pontificis eos, qui conventui nationali studii ab «Unione Giuristi Cattolici Italiani» celebrato interfuerunt, coram admissos 109

EX ACTIS SANCTAE SEDIS

CONGREGATIO DE DOCTRINA FIDEI

- Decretum quo, ad Poenitentiae sacramentum tuendum, excommunicatio latae sententiae illi quicumque ea quae a confessario et a poenitente dicuntur vel per instrumenta technica captat vel per communicationis socialis instrumenta evulgat, infertur 112
- Rescriptum ex Audientia SS.mi formulas Professionis Fidei et Iuris iurandi Fidelitatis contingens foras datur 113

SUPREMUM TRIBUNAL SIGNATURAE APOSTOLICAE

- Declaratio. De foro plerarumque probationum 114
- Declaratio. De foro competenti in causa nullitatis matrimonii, post sententiam negativam in prima instantia latam 117

EX ACTIS PONTIFICIAE COMMISSIONIS CODICI IURIS CANONICI RECOGNOSCENDO

- I. Coetus studii «De Quaestionibus specialibus Libri II» (Sessio II) 119
- II. Coetus studii «De Personis physicis et moralibus» (olim «De Quaestionibus specialibus Libri II» (Sessio III) 137
- III. Coetus studii «De Personis physicis et moralibus» (olim «De Quaestionibus specialibus Libri II» (Sessio IV) 165
- IV. Coetus studii «De Personis physicis et moralibus» (olim «De Quaestionibus specialibus Libri II» (Sessio V) 205
- V. Coetus studii «De Personis physicis et moralibus» (olim «De Quaestionibus specialibus Libri II» (Sessio VI) 246
- VI. Coetus studii «De Magisterio ecclesiastico» (Sessio VI) 274
- * * *
- Opera a Consilii Bibliotheca recepta 316
- Notitiae 317
- Index Rerum Generalis 319

VI
COETUS STUDII
«DE MAGISTERIO ECCLESIASTICO»

Sessio VI
(diebus 15-18 martii 1971 habita)

Diebus 15-20 martii 1971, in Aula Sedis Commissionis Codici Iuris Canonici Recognoscendo, habita est VIa Sessio Consultorum, qui Coetum Studii efformant ad recognoscendas normas CIC «De Magisterio Ecclesiastico».

In conventibus partem haberunt: Exc.mi duo ac Rev.mi quattuor Consultores. Rev.mus D. Guillelmus Onclin, Commissionis Secretarius Adiunctus, munere Praesidis et Relatoris functus est.

Rev.mus Marianus De Nicolò, Adiutor a studiis Commissionis, acta redegit.


Aliquibus conventibus interfuit Em.mus D. Cardinalis Commissionis Praeses, Pericles Felici.

Quaestiones in hoc studiorum coetu tractandae erant: ultima canonum recognitio de institutione clericorum; recognitio canonum de librorum prohibitionem et censura; de sacris missionibus, necnon de fidei professione.

I
POSTREMA CANONUM RECOGNITIO
DE INSTITUTIONE CLERICORUM

Rev.mus Secretarius Ad., ineunte sessione, proponit ut primo canones de clericorum institutione perlegantur ita ut Exc.mi cuiusdam Consultoris (Secretarii S. Congregationis pro Institutione Catholica), qui adhuc infirmitate laborat ideoque absens est, animadversionum consideratio habeatur. Rationes ab Exc.mo allatae possunt videri in Relatione antea actae Sessionis Vae (cfr. *Communicationes* 21 [1989] 56-80, *passim*).

In textus canonum lectione, hae, quae sequuntur, mutationes inductae sunt.



Canon 2 (novus)

Loco « In Institutis religiosis » dicatur « In Institutis necnon Societatibus clericorum, quibus ius incardinandi competit » (Secretarius Ad.). Placet aliis, etsi Rev.mus primus Consultor animadvertit quod poni debet quaestio generalis de denominatione: in Concilii Decretis, ex. gr., numquam formula « Instituta perfectionis » adhibetur, quae tamen hodie multo invaluit.

Canon 3 (1353 CIC)

§ 1, 1º: ex propositione Exc.mi supradicti Consultoris placet ut ante « Ecclesia » inseratur verbum « tota ».

3º: Exc.mus secundus Consultor desiderat ut aliud verbum adhibeatur ad exprimendam ideam de vitae ministerialis « valore », sed textus remanet sicuti est; sufficiens enim iudicatur adiectivum « eximium » sicuti in textu habetur.

Post « Parochi » adiungitur expressio « recta doctrina ». Placet.

Canon 5 (1354 § 2 CIC)

In § 1, secundum propositionem Exc.mi supradicti Consultoris, delentur verba « pro regula generali habeatur ut » et textus § 1 incipit a verbo « Adulcentes ». Item in § 2 loco « loci vel temporis adiuncta » dicatur tantum « personarum vel temporum adiuncta »; et post « casibus » adiungatur « peculiaribus ».

In § 3 loco « amicitia » dicatur « habitudo » (primus Consultor). Placet.

Canon 6 (1354 §§ 2 et 3 CIC)

Idea, quam Exc.mus supradictus Consultor proposuit ut introducatur de fraterna, scilicet, dioecesani et religiosi cleri cooperatione, sicuti in secunda parte n. 21 *Rationis fundamentalis* habetur, non placet; ideoque textus remanet sicuti est.

Canon 8 (1358-1359 CIC)

§ 1: ob rationem lexicalem, ab Exc.mo supradicto Consultore propositam (cf. Relationem Sessionis Vae: cfr. *Communicationes* 21 [1989] 63), textus hoc modo se habet: « ... composita inter se earundem coordinationis ratione... ».

Post « praesit » adiungatur « et si casus ferat Vice-Rector » (tertius Consultor): placet.

Omnes non conveniunt in propositione Exc.mi supradicti Consultoris ut canon adiungatur de requisitis ex parte Moderatorum Seminarii, Rectoris nempe et Professorum; exurgit enim ex convenientia rerum.

§ 3, n. 2: Suggestio reicitur Exc.mi supradicti Consultoris (cfr. Relationem Sessionis Vae: cfr. *Communicationes* 21 [1989] 63) etiamque non necessario existimatur ut nomen pro singulis coetibus de quibus in nn. 1 et 2 huius paragraphi indicetur.

Rev.mus primus Consultor suggerit ut totus numerus supprimatur. Respondit Rev.mus Secretarius Ad. quod praecise introductus fuit ut alumni partem in coetu habere possint.

Post aliquam disceptationem textus manet prouti iacet.

Canon 9 (1361 CIC)

§ 1: Rev.mus quartus Consultor vellet ut idea exprimatur sacerdotem, qui iter per Seminarium facit, potestatem audiendi confessiones habere; respondet Rev.mus Secretarius Ad. hoc pertinere ad materiam de confessione. Res sicuti est remanet.

Canon 10 (1363 CIC)

Iuxta propositionem Rev.mi quinti Consultoris, post verba initialia « Ad Seminarium » adiungitur « maius »; et verbo « iudicantur », ex propositione Rev.mi Secretarii Ad. substituitur verbum « aestimantur ». — Placet. Quoad quaestionem de ex-seminaristis, quae ab Exc.mo supradicto Consultore posita fuit in anteacta Sessione (cfr. Relationem Sessionis Vae: cfr. *Communicationes* 21 [1989] 65) omnes plene conveniunt nihil dicendum esse, cum res melius ab Episcopo quam a Sancta Sede iudicetur. Ceterum textus canonis in § 3 satis rei providet.

Canon 11 (novus)

Propositio ab Exc.mo supradicto Consultore facta (cfr. Relationem Sessionis Vae: cfr. *Communicationes* 21 [1989] 66) non admittitur et textus remanet prouti est, mutato tantum verbo « institutionem » cum « formationem », ex propositione Rev.mi Secretarii Ad.

Canon 12 (novus)

Exc.mi supradicti Consultoris observatio non accipitur (cf. Relationem Sessionis Vae: cfr. *Communicationes* 21 [1989] 66) et textus, sicuti iacet, placet.

Canon 15 (novus)

Non necessaria omnibus videtur additio « et christianam » post « maturitatem humanam » quam Exc.mus supradictus Consultor postulavit (cf. Relationem Sessionis Vae: cfr. *Communicationes* 21 [1989] 68). Textus placet sicut sonat.

Canon 16 (novus)

In § 2, iuxta Exc.mi supradicti Consultoris mentem (cfr. Relationem Sessionis Vae: cfr. *Communicationes* 21 [1989] 70), post « evolvant », in formula a Rev.mo Secretario Ad. proposita, adiungitur « ad spiritum missionalem efformentur, discentes ministerium in caritate semper impletum ad propriam sanctificationem praecipue conferre ». Placet.

§ 3: Propositio Exc.mi supradicti Consultoris, exprimendi nempe radicem amicitiae de qua in textu sermo est, quaeque in n. 47 *Rationis Fundamental*is « sacramentali fraternitate » indicatur (cf. Relationem Sessionis Vae: cfr. *Communicationes* 21 [1989] 70), non admittitur.

Canon 17 (1367 CIC)

§ 1: ex difficultate quam Rev.mus primus Consultor movet, num non expediat prius sermonem instituere pro seminaristis de apostolico labore, Rev.mus Secretarius Ad. proponit ut dicatur « ..robur pro futuro apostolico labore et pro sua vita spiritali ex hoc... » Placet.

Propositio Exc.mi supradicti Consultoris quaerentis ut dicatur « in Seminario foveantur pietatis exercitia » (cfr. Relationem Sessionis Vae: cfr. *Communicationes* 21 [1989] 71), non acceptatur et textus remanet prouti iacet.

Canon 20 (CIC 1364, 2° et 3°)

§ 2: Propositio Exc.mi supradicti Consultoris, ut loco « prout id expedire videatur », ad ideam adaequate exprimendam, dicatur « si formatio humanistica et scientifica non est sufficiens » (cf. Relationem Sessionis Vae: cfr. *Communicationes* 21 [1989] 72), non habet assensum aliorum Consultorum. Remanet textus uti iacet.

Canon 22 (novus)

Propositio Exc.mi supradicti Consultoris (cfr. Relationem Sessionis Vae: cfr. *Communicationes* 21 [1989] 73) non admittitur, et textus remanet sicuti est.

Rev.mus primus Consultor quaerit quid sibi vult expressio « introductio in mysterium Christi et historiam salutis », quam, quamvis in Concilii Decretis inveniatur, nemo tamen iam illo tempore quid esset nesciebat, neque hodie nemo est qui sciat quid sit et quomodo facienda. Et hoc experientia docuit; nam in Germania plura conamina in illo sensu facta sunt. Quare idem Rev.mus Consultor proponit ut verba illa deleantur. Placet. Post « tradatur » adiungitur « generalis ». Placet.

Canon 25 (1366 CIC)

Ad mentem Exc.mi supradicti Consultoris (cfr. Relationem Sessionis Vae: cfr. *Communicationes* 21 [1989] 75), post « de quo in can. 8 § 3, 1° » adiungitur « necnon eiusdem Rectore et Professorum collegio ». Placet.

Canon 26 (novus)

Propositio Exc.mi supradicti Consultoris de alumnorum labore in coetu commendando et observatio circa terminum « exercitationes » (cfr. Relationem Sessionis Vae: cfr. *Communicationes* 21 [1989] 76) non admittuntur: ideoque textus sonat sicuti antea.

Canon 29 (1365 § 3 CIC)

Exc.mo secundo Consultori videtur nimis naturaliter sermonem fieri de arte pastoralis exercenda, cui Em.mus Cardinalis Commissionis Praeses respondet apostolatum semper aliquod supernaturale opus esse. Animadvertit Rev.mus primus Consultor quod hic sermo de arte pastoralis exercenda theoriae opponitur uti esset technica. Textus remanet prouti est.

Canon 30 (novus)

Rev.mus primus Consultor quaerit an hoc valeat tantum pro rerum pastoralium studio vel etiam de studiis theologicis: de his ultimis, dicit Rev.mus Secretarius Ad., alio in loco sermo est.

Ad propositionem Em.mi Card. Praesidis, loco « studio pastoralis » dicatur « studio rerum pastoralium ». Placet.

Canon 32 (1360 § 1 CIC)

Ex propositione Rev.mi primi Consultoris deletur verbum « Seminarii ». Placet.

Exc.mus secundus Consultor quaerit num expediat mentionem hoc in loco facere de vice-rectore. Em.mus Praeses non expedire censet ne duplex videatur esse organum directionale Seminarii.

Canon 34 (1368 CIC)

Em.mus Card. Praeses quaestionem movet an Rector parcho aequiparetur quoad confessiones audiendas et tenet Rectorem potestatem habere etsi non expedit ut eam exerceat. Respondet Rev.mus Secretarius Ad. quod per se Rector potestatem habet non tamen licentiam.

Notat Rev.mus primus Consultor quod can. 891 mandat ut « Superior Seminarii collegiive sacramentales confessiones suorum alumnorum secum in eadem domo commorantium ne audiant, nisi alumni ex gravi et urgenti causa in casibus particularibus sponte id petant ».

II

EXAMEN CANONUM

DE LIBRORUM PRAEVIA CENSURA ET PROHIBITIONE

Explicit hoc modo materia de clericorum institutione et transitus fit ad examen canonum de Librorum Praevia Censura et Prohibitione (Lib. III, Tit. XXIII, capp. I-II, CIC).

Votum scriptum de hac materia miserunt: Exc.mi duo ac Rev.mi quatuor Consultores.

S. Congregatio pro Doctrina Fidei, notat Rev.mus Secretarius Ad., notificatione de librorum censura *Post Litteras Apostolicas*, diei 14 iunii 1966 (cf. AAS 58 [1966] 445) anteactam legislationem circa librorum prohibitorum Indicem mutavit, ideoque obligatio iuridica cum adnexis sanctionibus ablata est. Et canones ideo amplius obligationem iuridicam non habent sed moralem tantum.

Rev.mus Relator tenet principium affirmandum esse quod ius est Ecclesia prohibitiones faciendi, et hoc ius tum Sedi Apostolicae tum Episcopis competere; sufficeret ergo affirmare quod Ecclesia ius habet doctrinam tuendi etiam prohibitionem librorum.

Exc.mus secundus Consultor exoptat ut aliquid modo positivo dicatur de communicationis socialis mediis, sicut in Decreto conciliari *Inter mirifica*.

Em.mus Praeses censet aliquid hac de re etiam in schemate *Legis Fundamental* dictum esse. Rev.mus tertius Consultor animadvertit in canonibus de ministerio verbi aliquid adesse debere.

Rev.mus Secretarius Ad. notat quod possent aliqua media pro doctrinae tuitione determinari, ex. gr. per prohibitionem et librorum censuram necnon moderandi usum quem christifideles faciunt communicationis socialis instrumentorum; ita ut, post enunciationem principii quod Sedi Apostolicae et Episcopis ius est non tantum declarare sed etiam tueri doc-

trinam, ius pariter affirmetur de mediis ad hunc finem adhibendis. Tamen oportet multa ad Episcoporum Conferentias demandare.

Quoad praevidiam librorum censuram Rev. mus primus Consultor rationes refert, quae in suo voto scripto continentur, de eiusdem abrogatione. Animadvertit insuper Conferentiam Episcoporum Germaniae a Sede Apostolica petivisse ut «imprimatur» requiratur tantummodo pro liturgicis libris et pro eis qui pro institutione in scholis inserviunt.

Em. mus Praeses tenet necessarium esse asserere: 1) ius et officium Ecclesiae non solum docendi sed etiam doctrinam catholicam tuendi; 2) hoc munus ad singulos Episcopos spectare — quia Episcopus officium habet quod revera exercere debet — ac tantum in aliquibus casibus rem ad Episcoporum Conferentiam pertinere; 3) ius et officium quae Episcopus habet libros examinandi, adhibitis etiam peritis, vocandi auctorem ita ut, si necessarium sit, corrigatur modo tamen quod publice constet.

Episcopus, animadvertit adhuc Em. mus Praeses, publici iuris omnia facere debet iuxta circumstantias, etsi aliquam poenam irrogare debet saltem propter inoboedientiam. In casibus alicuius momenti Conferentia Episcoporum intervenire tenetur ad Episcopum sustinendum.

Tantum in casibus maioris gravitatis — ex auctoritate scriptoris aut ex ipsa re — intervenire debet Sancta Sedes.

Omnes igitur concordant ut aliquae normae hac de re proponantur et ponantur initio uti canones generales.

Rev. mus Secretarius Ad. quaerit an titulus *De librorum censura* servari debeat vel mutandus sit.

Verbum «censura» modernae menti adversari videtur — notat Rev. mus tertius Consultor —; tamen retineatur, nisi aliud verbum inveniatur magis acceptabile.

Rev. mus primus Consultor praefert ut «de invigilantia circa doctrinam» sermo sit. Em. mus Praeses proponit ut «de fidei doctrina tuenda» titulus inscribatur.

Tamen notatur quod opportunum esset sermonem instituere etiam de mediis communicationis socialis. Exc. mus secundus Consultor proponit ut dicatur «de fide tuenda deque instrumentis communicationis socialis», vel tantum «de libris et instrumentis...», cui assentit etiam Rev. mus tertius Consultor, qui tamen animadvertit necessarium esse aliquid adiungere forma positiva de Episcoporum obligatione utendi mediis communicationis socialis et de cura circa formationem personarum hac in re competentium.

Rev. mus quartus Consultor animadvertit quod verba cap. I, nn. 3-5 Decreti conciliaris *Inter mirifica* adhiberi possunt. Aestimat, vero, Rev. mus Secretarius Ad., illas normas potius ordinis moralis et iuris natu-

ralis esse. Insistunt tamen Exc.mus secundus et Rev.mus quartus Consultores illic de vera obligatione agi: cap. I, n. 2 « Ecclesiae ...nativum ius competit quodvis bonum instrumentorum genus, quatenus.. adhibendi...; ad sacros vero Pastores munus pertinet fideles ita instituendi... ut iidem, horum etiam instrumentorum auxilio... ».

Adiungit Rev.mus tertius Consultor a n. 8 ad n. 21 citati Decreti varias obligationes enumerari, praesertim sub nn. 20 et 21: « Episcoporum... erit... invigilare... promovere... ordinare » (n. 21).

Rev.mus Secretarius Ad. igitur proponit ut in canone aliquo generali idea exprimatur quod Episcopo munus competit invigilandi ut recta doctrina semper tradatur per instrumenta communicationis socialis necnon invigilandi de eorum recto usu.

Tandem aliquando in fine disceptationis statuitur titulum inscribendum simpliciter esse « de libris et instrumentis socialis communicationis »: cum res ponatur sub capite de magisterio ecclesiastico, eius respectus ad doctrinam iam luculenter intelligitur.

Attentis dictis in disceptatione, Rev.mus Secretarius Ad. redactionem canonum, quae sequitur, proponit:

Canon 1 (novus)

Ecclesiae Pastores, quippe quorum est fidei veritates annuntiare ac tueri necnon morum integritatem tutari, curent ut ministerio verbi praesertim fidelibus proferatur officium quo tenentur prospiciendi, non tantum ne scriptis aut usu instrumentorum communicationis socialis fidei aut moribus nocumento sint, sed etiam ut cooperentur ad fidei veritates integre servandas moresque artas tectas habendas.

Rev.mi tertius et primus Consultores verborum transpositionem proponunt ita ut verba « scriptis... nocumento sint » ad omnes et non tantum ad instrumenta communicationis socialis et ad fidelium scripta sese referant. Rev.mus tertius Consultor proponit ut post « integre » adiungatur « proponendas ».

Textus ideo emendatus sic sonat: « Ecclesiae pastores... prospiciendi ut cooperentur ad fidei veritates integre proponendas et servandas moresque sartas tectas habendas, necnon providendi ne scripta aut instrumentorum communicationis socialis usus fidei aut moribus nocumento sint ».

Placet.

Canon 2 (1384 § 1 CIC)

Exc.mus secundus Consultor animadvertit opportunum non esse hanc servare normam pro omnibus libris, et eam tantum ad materiam fidei re-

stringi posse (primus Consultor). In primis, insuper, ponantur Episcopi utpote pastores quibus primo officium invigilantiae competit et etiam ex eo quod S. Sedes semper sero suam actionem explicat (Em.mus Praeses), dein Conferentiae Episcopales et denique S. Sedes (secundus Consultor).

Rev.mus Secretarius Ad. sequentem formulam proponit:

§ 1. Ut veritatum fidei morumque integritatem servant ac tueantur, ius est Ecclesiae pastoribus invigilandi ne christifideles scriptis aut usu instrumentorum communicationis socialis detrimento sint fidei aut moribus; item exigendi ut quae fidem moresve tangant scripta edenda aut orationes mediis communicationis diffundendae suae approbationi subiiciantur; necnon prohibendi quominus christifideles certos libros legant, immo vel retineant aut vendant, aut cum aliis communicent.

§ 2. Ius de quo in § 1 praesertim competit Episcopis, tum singulis tum in Conciliis particularibus Episcoporumve Conferentiis adunatis quoad christifideles suae curae commissos, atque supremae Ecclesiae auctoritati quoad universum Dei populum.

Quoad § 1: Exc.mus secundus et Rev.mus quintus Consultores proponunt ut post verbum «certos» adiungatur «determinatos», sed propositio non accipitur. Textus § 1 probatur uti est.

Quoad § 2: Rev.mi Secretarius Ad. et primus Consultor proponunt ut adverbium «praesertim» tollatur, quod placet aliis. Probatur etiam textus § 2. § 2 itaque ita sonat: «Ius de quo in § 1 competit... Dei populum».

Canon 3 (CIC 1385 § 2-1384 § 2)

Textum Codicis considerantes, omnes Consultores conveniunt ut optio remaneat pro expetenda approbatione uti iam habetur in § 2 can. 1385 et post «ita tamen» dicatur «petere ne audeat» aut «petere non liceat» loco «petere nequeat».

Rev.mus Secretarius Ad. quaestionem movet: quid verbo «libris» intelligitur? Rev.mus primus Consultor aestimat quod numquam articuli censurae subiiciuntur. Tamen Rev.mus Secretarius Ad. retinet aliquid dicendum esse; quapropter proponit ut exprimatur idea quod libri intelliguntur quaecumque scripta.

Ideoque textus a Rev.mo Secretario Ad. propositus est sequens:

§ 1. Nisi aliud statuatur, loci Ordinarius, cuius approbatio ad libros edendos iuxta canones huius tituli petenda est, est loci Ordinarius proprius auctoris aut Ordinarius loci in quo libri publici iuris fiant, aut Ordinarius loci in quo imprimantur, ita tamen ut, si eorundem quis approbationem denegaverit, non liceat auctori eandem ab alio petere, nisi eundem de denegata ab alio approbatione certiore faciat.

§ 2. Quae in canonibus huius tituli statuuntur de libris praescripta, quibuslibet editis scriptis applicanda sunt, nisi aliud constet.

Rev.mus primus Consultor censet forsitan non convenire ut in § 1 mentio fiat de Ordinario loci in quo libri imprimuntur; nam, non raro domus librariae alibi ac in propria sede libros imprimere faciunt. Sufficit ergo ut responsabilitas apud auctorem et editorem sit. Tamen non insistit. Exc.mus sextus Consultor, e contra, animadvertit quod etiam hoc in casu aliqua cooperatio, etsi materialis tantum, habetur. Rev.mus Secretarius Ad. opinatur normam Codicis restringendam non esse. Textus remanet uti est et omnibus placet.

Placet § 2.

Canon 4 (CIC 1385 § 1, 1º, 3º - 1391)

Can. 1385 § 1: non dicatur «censura» sed «approbatio» vel «licentia» (Em.mus Praeses); ergo erit «nisi approbatio ecclesiastica praecesserit...». Placet.

n. 1º: servari potest quoad editiones librorum Sacrae Scripturae, tamen nihil dicendum est de eiusdem commentariis (primus Consultor). Placet.

n. 2º: Enumeratio Codicis est nimis minutiosa (secundus Consultor); mentio tamen fiat de libris manualibus pro scholis (primus Consultor).

Rev.mus Secretarius Ad., animadvertens quod est difficile enumerare omnes libros qui approbatione egeant, proponit ut requiratur approbatio pro libris liturgicis et editionibus S. Scripturae; utque commendetur tantum ut alii libri qui agunt de rebus fidei et morum approbentur; ita tamen ut solummodo qui habent approbationem possint adhiberi uti manualia pro iuvenum institutione in scholis (vel ut textus scholasticus).

n. 3º: de hoc dicatur ubi de Commissionem liturgica (secundus Consultor), sed deleatur mentio de imaginibus. Placet. In can. 1279, notat Rev.mus quintus Consultor, iam habetur textus de imaginibus cultui destinatis.

Quoad can. 1391 Rev.mus quartus Consultor animadvertit quod praetermittenda non est consideratio collaborationis cum fratribus seiunctis de qua in Const. *Dei Verbum*, n. 22 et n. 25.

Omnibus rite consideratis, Rev.mus Secretarius Ad. textum sequentem proponit:

«§ 1. Libri Sacrarum Scripturarum eorumque versiones in linguam vernaculam edi non possunt, nisi qui aut ab Apostolica Sede probati aut ab Ordinario approbati ac insimul necessariis et sufficientibus explicationibus sint instructi.

§ 2. Versiones Sacrarum Scripturarum, communi etiam cum fratribus seiunctis opera, parare atque edere possunt christifideles catholici, de consensu loci Ordinarii » (cfr. Const. *Dei Verbum*, nn. 22, 25).

Quoad § 1: post aliquam disceptationem sequentes emendationes proponuntur: deleantur verba « eorum versiones in linguam vernaculam »; et post « Apostolica » dicatur « Sede aut a loci Ordinario approbati sunt; itemque eorundem versiones in linguam vernaculam ut edi possint requiruntur ab eadem Auctoritate sint approbatae atque insimul... ». Placent emendationes et integer textus.

Quoad § 2: Exc. mus sextus Consultor petit an etiam pro Sacrae Scripturae editionibus, quae communi cum fratribus seiunctis opera fiunt, quis eadem regula adstringatur.

Respondet Rev. mus Secretarius Ad. Concilium in Const. *Dei Verbum* (n. 22 in fine) nihil dicere. Et ideo textus potest remanere uti iacet. Placet.

Canon 5 (CIC 1390)

Rev. mus quartus Consultor, ad hunc canonem quod attinet, observat quod dispositiones Const. *Sacrosanctum Concilium* (n. 36, §§ 2, 3, 4) et M.P. *Sacram Liturgiam* (n. IX) attendendae sunt, quia hodie praesertim de versionibus in linguam vernaculam agitur, quae auctoritati ecclesiasticae territoriali relinquuntur, consilio habito cum Episcopis finitimarum regionum eiusdem linguae, etsi acta ab Apostolica Sede confirmari debent.

Post aliquam disceptationem textus qui a Rev. mo Secretario Ad. proponitur est sequens:

« § 1. Libri liturgici itemque versiones librorum liturgicorum eorumve partes ne edantur nisi de mandato Episcoporum Conferentiae atque sub eiusdem vigilantia, approbante etiam Apostolica Sede.

§ 2. Ut iterum edantur libri liturgici qui a Sede Apostolica probati sunt necnon eorum versiones in linguam vernaculam ad normam § 1 factae et approbatae, eorumve partes, constare debet de earundem concordantia cum editione approbata ex attestazione Ordinarii loci, in quo imprimuntur aut publici iuris fiunt ».

Quoad § 1: Exc. mus secundus Consultor proponit modificationem lexicalem ne repetitio habeatur: post « itemque » dicatur « eorum » et deleantur verba « librorum liturgicorum ». Placent emendatio et textus § 1.

Quoad § 2: secundum propositionem Exc. mi secundi Consultoris, deletur « earundem ». Placet § 2.

Canon 6 (CIC 1385 § 1, n. 2)

Codicis enumeratio est nimis minutiosa, ideoque reducenda videtur, tamen saltem prima pars huius numeris servari deberet, uti notat Exc.mus secundus Consultor.

Rev.mus primus Consultor valde exoptat ut sermo fiat de libris manualibus pro scholis: quos scilicet tyrones prae manibus habent ut textus scholasticos fundamentales.

Rev.mus Secretarius Ad., auditis omnium optatis, sequentem proponit textum:

« § 1. Commendatur ut approbationi loci Ordinarii subiiciantur libri qui quaestiones ad Sacram Scripturam, ad sacram theologiam, historiam ecclesiasticam, ius canonicum, theologiam naturalem, ethicam aliasve religiosas aut morales disciplinas pertinentes spectant, necnon scripta in quibus aliquid habeatur quod religionis aut morum honestatis peculiariter intersit.

§ 2. Libri de quibus in § 1, tantummodo si cum approbatione loci Ordinarii editi sint, in scholis sive elementariis, sive mediis sive superioribus adhiberi possunt uti textus quibus innititur institutio quae traditur ».

Quoad § 1: Rev.mus primus Consultor quaerit num non sufficiat ut dicatur « libri qui ad fidem et morem spectant », vel « ad rem religiosam et morem spectant ». Exc.mus secundus Consultor utilem aestimat enumerationem, eo magis (sextus Consultor) quod iam habetur in Codice. Res manet prouti iacet. Placent §§ 1 et 2.

Proponitur ut § 3 canonis 1385 remaneat et addantur verba: « et sodales Institutorum saecularium ». Textus igitur § 3 esset: « Religiosi vero et sodales Institutorum saecularium licentiam quoque sui Superioris antea consequi debent ». Attamen magis placet ut haec norma postea in canone speciali tradatur.

Canon 7 (CIC 1387)

Omnes conveniunt ut canon servetur uti est, dempto « quoquo modo » et nomen S. Congregationis « pro causis sanctorum » inscribatur, quapropter canonis textus hic est:

« Scripta quae ad causas beatificationum et canonizationum servorum Dei pertinent, sine licentia S. Congregationis pro causis sanctorum edi nequeunt ».

Placet.

Canon 8 (CIC 1389)

Intentum canonis redigendi est ut collectiones, ut tales, constitutum et decretorum Auctoritatis Supremae et decretorum auctoritatis inferioris imprimi nequeant nisi de licentia eiusdem auctoritatis, quapropter omnibus placet ut dicatur:

« Collectiones decretorum aut actorum ab aliqua auctoritate ecclesiastica editae, iterum edi non licet, nisi impetrato prius eiusdem auctoritatis assensu et servatis conditionibus ab eadem praescriptis ».

Canon 9 (CIC 1386)

Quoad § 1: placet ut deleatur; quod de Religiosis dicitur forsan remitti potest ad Constitutiones.

Quoad § 2: placet ut retineatur, tamen loco « impetere solent » dicatur « manifesto impetere solent » et vice « religionem catholicam » dicatur « fidem catholicam ». Ideoque textus sic sonat:

« In diariis, foliis aut libellis periodicis qui fidem catholicam aut bonos mores manifesto impetere solent, ne quidpiam conscribant christifideles, nisi iusta et rationabili de causa, a loci Ordinario probata ».

Rev.mus primus Consultor animadvertit quod difficile reapse est criterium statuere de foliis qui fidem catholicam impetere solent et Rev.mo quinto Consultori textus videtur nimis extensus eo vel magis quod laici non cogitant hac de re. Tamen Exc.mus sextus Consultor et Rev.mus Secretarius Ad. insistunt ut remaneat et proponunt ut post « causa » clausula ponatur pro clericis et religiosis cuiusque textus hic est: « clerici autem et religiosi, approbante tantummodo loci Ordinario ». Placet canonis textus cum proposita emendatione.

Canon 10 (CIC 1385 § 3)

Placet ut retineatur § 3 can. 1385 et habeatur praescriptum quod omnia instituta perfectionis includat. Ideoque Rev.mus Secretarius Ad. textum proponit sequentem:

« Sodales Institutorum religiosorum aut saecularium, ut scripta quaedam edere possint licentia egent sui Superioris maioris ».

Ex propositione Rev.mi quinti Consultoris verbum « quaedam » deletur et, proponentibus Rev.mis quarto et primo Consultoribus, in fine adiungitur « ad normam Constitutionum ». Placet.

Canon 1388 CIC

Placet ut deleatur § 1: nam prae oculis habendae sunt, notat Rev. mus quartus Consultor, dispositiones Const. Ap. *Indulgentiarum doctrina* ex quibus novum *Enchiridion Indulgentiarum* ultimo Typis Polyglottis Vaticanis impressum approbatum est, quo etiam ordinationes CIC abrogantur.

Deleatur etiam § 2.

Canon 11 (1392 CIC)

Placet ut remaneat § 1, tamen, proponentibus Rev. mis primo et quarto Consultore, dicatur « Approbatio... non autem aliis editionibus, aut translationibus eiusdem operis ». Placet.

Deleatur § 2.

Canon 12 (1393 CIC)

Quoad § 1: Rev. mus quintus Consultor proponit ut dicatur tantum quod praesto sint librorum censores recta doctrina, scientia praestantes ab Ordinario loci aut ab Episcoporum Conferentia designati.

Rev. mus Secretarius Ad. textum proponit:

« In curiis (dempto 'universis') episcopalibus praesto sint librorum censores, scientia, recta doctrina et prudentia praestantes ».

Ex propositione Exc. mi secundi Consultoris, deletur § 3.

Ita seligi possunt etiam censores laici, animadvertit Rev. mus Secretarius Ad. Placet textus cum emendatione probata.

Quoad § 2: Rev. mus primus Consultor proponit ut tantum dicatur quod censores Ecclesiae fidem et mores prae oculis habeant. Rev. mus Secretarius Ad. textum, qui sequitur, proponit:

« Censores, in suo obeundo officio, omni personarum acceptione deposita, tantummodo prae oculis habeant Ecclesiae de fide et moribus doctrinam, uti a Magisterio ecclesiastico proponitur ».

Placet.

Deleatur § 3.

Quoad § 4 et 5: Quaerit Rev. mus Secretarius Ad. num non expediat dicere quod si sententia est negativa appellari potest. Rev. mus quartus Consultor proponit ut nomen censoris reticeatur, sed rationes exprimantur. Rev. mus Secretarius Ad. proponit ut nihil de censoris nomine dicatur et si sententia non est auctori favorabilis Ordinarius rationes det: quapropter textus, qui a Rev. mo Secretario Ad. proponitur: hic est:

« Censor sententiam scripto dare debet. Quae si faverit, Ordinarius permittat ut editio fiat cum sua approbatione, expresso nomine, tempore et loco concessionis; quod si non datur approbatio, rationes communicandae sunt ».

Placet.

Canon 1394 CIC

Sufficiunt ea quae in superiori canone dicta sunt.

III DE SACRIS MISSIONIBUS

Examine canonum de librorum praevia censura et prohibitionem iamiam absoluto, gressus fit ad argumentum De sacris missionibus.

In antea actis sessionibus Rev.mo tertio Consultori commissa fuerat praeparatio schematis canonum.

Rev.mus Secretarius Ad. ea quae in voto Rev.mi tertii Consultoris continentur aliis Consultoribus refert.

Primo de titulo disceptatur quo inscribenda est quaestio: utrum expediat ut sit titulus de « sacris missionibus », an « de populorum evangelizatione » an « de activitate missionaria ».

Rev.mus tertius Consultor in suo voto scripto diffuse et accurate rationes adnotat favorabiles et contrarias ad tituli usum « de sacris missionibus ».

Omnibus rite consideratis, Consultores conveniunt ut titulus « de sacris missionibus » retineatur.

Ad canones quod attinet propositi schematis, haec quae sequuntur adnotata sunt:

Canon 1

Ad normam can. 1327 § 1 et § 2, penes Apostolicam Sedem est suprema directio et coordinatio tum operis missionalis tum cooperationis missionariae (cfr. *Ad gentes*, n. 29).

Rationes, quas in suo voto Rev.mus tertius Consultor affert, sequentes sunt:

Cum in canonibus praelimariis actum sit de verbo divino praedicando in genere et de officio evangelizandi Ecclesiae in specie, hic de sacris missionibus imprimis pronenda est executio mandanti omnes gentes docendi in sua suprema et universali applicatione practica, quae consistit in directione et coordinatione. Dicitur « penes Apostolicam Sedem », quia Sum-

mus Pontifex utitur aliis etiam Dicasteriis, praeter S. Congregationem de Propaganda Fide, in missionibus exsequendis. Dicitur « tum operis missionalis tum cooperationis "missionariae", cum ex his duobus elementis constet activitas missionalis Ecclesiae (cfr. *Ad gentes*). In initio legitur « Ad normam... », ut referentia modo inaequivoco pateat.

Rev.mus Secretarius Ad. textum can. 1327 §§ 1 et 2 recolet a coetu de Magisterio recognitum, qui haec habet:

§ 1. Inter praecipua Episcoporum munera eminet praedicatio Evangelii. Episcopi, sollicitudinis omnium Ecclesiarum participes, in communione et sub auctoritate Summi Pontificis, hoc magisterium exercent omnes uniti in Collegio seu corpore quoad universam Ecclesiam (cfr. *Lumen gentium*, n. 25; *Christus Dominus*, n. 3).

§ 2. Pro universa Ecclesia munus christiani nominis propagandi singulari modo Romano Pontifici, Petri successori, demandatum est (cfr. *Lumen gentium*, n. 23).

Etiam in can. 60 schematis *Legis Fundamentalis Ecclesiae* — notat idem Rev.mus Dominus — sermo est de divini verbi ministerio, cuius textus est sequens:

« § 1. Cura Evangelium ubique terrarum annuntiandi seu praedicandi, toti Ecclesiae commissa, ad Corpus Episcoporum imprimis pertinet, quippe quibus omnibus in communi Christus docendi mandatum dederit.

« § 2. Singulari modo munus christiani nominis diffundendi demandatum est successori Petri, Summo Pontifici ».

Rev.mus Secretarius Ad., audita omnium sententia, proponit ut dicatur: « Summo Pontifici, cui (ad normam can. 60 *Legis Fundamentalis Ecclesiae*) singulari modo munus christiani nominis diffundendi demandatum est, competit suprema directio et coordinatio inceptorum et actionum quae ad opus missionale atque ad cooperationem missionariam pertinent » (cfr. *Ad gentes*, n. 29). Placet.

Canon 2

Actio missionalis Ecclesiae pergit usquedum novellae Ecclesiae plene constituentur atque opus evangelizandi et ipsae continent (cfr. *Lumen gentium*, n. 17 et *Ad gentes*, n.6).

Rev.mus tertius Consultor in sua explicatione scripta has tradit rationes: « opportunum esse videtur in Codice statuere finem seu scopum missionis, ut peculiaris nota appareat. Non est autem Codicis circumscribere quando et quomodo novellae ecclesiae plene constitutae habeantur; criteria enim practica pertinent ad auctoritatem, de qua in canone praecedenti ».

Rev.mus Secretarius Ad. notat quod melius esset loqui de Ecclesiis particularibus, quam de novellis. Rev.mus tertius Consultor animadvertit locutionem multoties in documentis Concilii inveniri: et praecise locutio ideam exprimere vult quod novellae Ecclesiae sunt quidem ecclesiae particulares plene, etsi non sibi sufficientes. Quapropter textus, ab omnibus probatus, hic est:

« Actio missionalis Ecclesiae perducitur usquedum novellae Ecclesiae plene constituentur in Ecclesias particulares, praecipuis quidem instructas mediis quae requiruntur ut opus evangelizandi per se ipsae peragere valeant ».

Canon 3 (can. 7 in voto tertii Consultoris)

Qui congrua naturali indole praediti, dotibus et ingenio idonei, sive autocthoni sive exteri: sacerdotes, religiosi et laici, sive viri sive mulieres, a legitima auctoritate missi ad opus missionale suscipiendum dicuntur missionarii (cfr. *Ad gentes*, n. 23).

Verba canonis mutuata sunt a Decreto conciliari *Ad gentes* addendo verba « sive viri sive mulieres » claritatis causa, notat Rev.mus tertius Consultor.

Rev.mus Secretarius Ad. proponit aliquas ideas de dotibus quibus missionarii praediti esse debent et proponit ut dicatur: « Missionarii dicuntur sacerdotes saeculares, religiosi et laici, viri aut mulieres, sive autocthoni, sive exteri, qui cum congrua naturali indole praediti sint ac dotibus et ingenio idonei iudicentur, a legitima auctoritate ecclesiastica ad opus missionale explendum mittuntur ».

Exc.mus secundus Consultor proponit ut in textu proposito adiungantur verba « speciali vocatione signantur », tamen non insistit et textus probatur uti propositus. Placet.

Canon 4 (3 in voto tertii Consultoris)

Missionarii omnes, exemplo vitae et testimonio verbi, curent dialogum sincerum et patientem instituere cum eis nondum in Christum credentibus ut secreta Dei praesentia modo eorum culturae et ingenio apto manifestetur, iuxta normas a Conferentiis Episcopalibus statuendas (cfr. *Ad gentes*, n. 11-12 et Normae, n. 9).

Rev.mus Secretarius Ad. notat difficile esse in Codice de « secreta Dei praesentia » loqui et praefert ut « de evangelica veritate » sermo potius sit. Rev.mo quinto Consultori norma proposita non videtur necessaria in Codice inserenda.

Rev.mus tertius Consultor respondet hic agi de praeparatione ad evan-

gelium, de prae-evangelizatione, uti aiunt, nempe de prima culturae nativae assimilatione ex parte missionariorum. Hac de re in Codice nisi modo vago agitur, cum necessario res in variis locis multum differat et pertineat ad Episcoporum Conferentias normas particulares statuere; attamen saltem mentio generalis in ipsa legislatione requiritur, uti legislationis de evangelizationis opere praeambulum.

Rev.mus Secretarius Ad. proponit textum sequentem: «Missionarii, vitae exemplo ac verbi testimonio, iuxta normas ab Episcoporum Conferentiis statutas, dialogum sincerum cum nondum in Christum credentibus instituant, ut ipsis, ratione eorundem ingenio et culturae apta, aperiantur viae quibus ad Christi evangelicum nuntium cognoscendum adduci valeant». Placet.

Insuper omnes opportunum aestimant ut canoni huic alius textus adiungatur, uti § 2, ubi de evangelizatione sermo sit, et cuius textus hic est: «Curent etiam ut quos ad evangelicum nuntium admittendum aestiment aptos veritates fidei edoceant habita ratione proprii eorundem ingenii et culturae, ut, libero plene consensu si id petant, ad baptismum recipiendum admitti possint». Placet.

Canon 5 (4 in voto tertii Consultoris)

§ 1. Qui fidem in Christum a Deo per Ecclesiam acceperunt, liturgicis caeremoniis admittantur ad catechumenatum.

§ 2. Eis tradatur expositio dogmatum et praeceptorum, totiusque vitae christianae institutio et tirocinium.

§ 3. Ordinariorum locorum est edere statuta, quibus catechumenatus ordinetur iuraque catechumenorum circumscribantur (cfr. *Ad gentes*, nn. 13-14).

Ad rationes quod attinet, Rev.mus tertius Consultor in suo voto scripsit:

«De catechumenatu, qui principem tenet locum in evangelizatione populorum, Codex praescribere debet quis sit catechumenus (§ 1) et quid sit catechumenatus (§ 2), relinquendo legibus particularibus organizationem, quae necessario varia est pro variis regionibus et populis. Ad statuta remittuntur iura catechumenorum, quia etsi in Decreto *Ad gentes* n. 14 ad finem legatur: «Status iuridicus catechumenorum in Novo Codice clare ponatur», timeo ne Codex nihil prorsus edat de statu iuridico catechumenorum, quatenus non sunt personae in Ecclesia, ideoque per remissionem ad legislationem localem votum Patrum Conciliarium quodammodo salvatur».

Quoad § 1: Rev.mus primus Consultor notat fidem in Ecclesia per baptismum recipi et ideo textus § 1 hoc modo mutatur: «Qui voluntatem

fidem in Christum amplectendi manifestaverint, liturgicis caeremoniis admittantur ad catechumenatum ». Placet.

Quoad § 2: Rev.mus Secretarius Ad. proponit ut § 2 sic enuntietur: «Catechumeni per vitae christianae institutionem et tirocinium apte initientur mysterio salutis atque introducantur in vitam fidei, liturgiae et caritatis Populi Dei » (cfr. *Ad gentes*, n. 14). Placet.

Quoad § 3: Formulam Rev.mus Secretarius Ad. proponit, quae post habitam disceptationem sic sonat: «Episcoporum, sive singulorum sive in Conferentiis adunatorum, est statuta edere quibus catechumenatus ordinetur, determinando quatenam a catechumenis sint praestanda atque definiendo quatenam eisdem agnoscantur praerogativae ». Placet.

Canon 6 (5 in voto tertii Consultoris)

§ 1. Fonte baptismatis geniti in communitatem christianam efformantur idoneis institutis pro ulteriori veritatis cognitione et progressiva spiritui evangelico assimilatione.

§ 2. Inde ab initio neophyti imbuantur sensu ecclesiali et oecumenico (cfr. *Ad gentes*, n. 15).

In suis explicationibus Rev.mus tertius Consultor notat opus missionale efformatione perfici perfecti christiani in societate viventis ipsamque Christi imaginem secumferentis.

Rev.mus Secretarius Ad. proponit ut textus §§ 1 et 2 in unum uniatur et hoc modo exprimatur: «Neophyti, cum baptismo regenerati et in Populo Dei recepti sint, idoneis institutis ad veritatem evangelicam penitus cognoscendam et officia baptismo suscepta apte implenda efformentur; sincero amore erga Christi Ecclesiam et spiritu oecumenico nutriantur ». Placet.

Canon 7 (6 in voto tertii Consultoris)

Missionarii meminerint suam missionem non limitari ad fideles pascendos, sed extendi semper ad Evangelium praedicandum iis, qui foris sunt (cfr. *Ad gentes*, n. 20).

Hoc modo rationes quibus canon innititur explicat Rev.mus tertius Consultor in suo voto: «Hic canon dynamismum missionale in lucem ponit ut ministerium verbi semper latius dilatetur. Periculum haud spernendum serpit etiam in missionibus ut sua quisque gaudeat aliqua communitate proprio sudore efformata, quin ad novos apostolatus campos oculos convertat. Sic habentur missionarii (sive exteri sive autochthoni), qui nullo

modo quaerant oves, quae non sunt in hoc ovili et ad summum expectant oves sibi obviam venientes ».

Rationes ab omnibus fundatae admittuntur et Rev.mus Secretarius Ad. sequentem formulam proponit:

« Missionarii non tantum curent ut eos pascant qui ad Populum Dei pertinent, sed et maxime solliciti sint ut Evangelium annuntient eis qui foris sunt » (cfr. *Ad gentes*, n. 20).

Placet.

Canon 8

§ 1. Validi cooperatores in opere missionum adsunt catechistae ad hoc efformati, qui viam praeparant evangelizationi conferuntque adiumentum varii generis, prout rerum circumstantiae postulant.

§ 2. Ad munus missionale vocari possunt sive ab Ordinariis locorum sive ab ipsis missionariis, obtento tamen consensu Ordinarii proprii catechistae auxiliares, qui nempe ad tempus vel cumulative cum professione personali sese didicant operi missionali (cfr. *Ad gentes*, n. 17).

Rev.mus tertius Consultor hoc modo in suo voto rationes canonis illustrat: « Concilium summis laudibus cumulavit ingenti catechistarum agmini, qui sunt revera humiles sed validissimi Evangelii praecones, contactum instituendo personalem cum infidelibus, primas doctrinae christianae notiones eis tradendo eosque ad missionarios ducendo et tandem continuis conversationibus eorum perseverantiam in fide addiscenda fovendo etc. ... Multi inveniuntur viri ecclesiastici, etiam magni nominis, in Europa, qui ignorant qui sint catechistae, confundendo eos cum catechumenis! Hic agitur de catechistis, ut operariis in vinea Domini, silentio vero praetermittitur de eorum formatione et sustentatione, cum hae res directe non pertinent ad ministerium verbi divini ».

Post congruam disceptationem et variationes textus, sequens formula, proponente Rev.mo Secretario Ad., ab omnibus accipitur:

§ 1. In opere missionali adimplendo uti cooperatores assumantur catechistae, qui nempe continuo labore sese devovent ut viam evangelizationi parent atque missionariis vario modo adiutorio sint; quare efformentur catechistae sive in scholis ad hoc destinatis, sive ubi desint sub moderamine missionariorum.

§ 2. Ad auxilium praestandum a locorum Ordinariis aut ab ipsis missionariis, de consensu proprii Ordinarii, vocari etiam possunt catechistae auxiliares, qui scilicet ad tempus aut partim operi missionali vires suas dedicant ».

Placet textus canonis.

Canon 9

Attentis normis a Conferentiis Episcopalibus statutis, loci Ordinarii est in territoriis sibi commissis.

1° promovere, moderari et coordinare activitatem missionariam ita ut omnes missionarii, etiam religiosi exempti, ei subsint in variis operibus, quae sacri apostolatus exercitium respiciunt (cfr. *Ad gentes*, n. 30).

2° normas statuere ad praeparationem pastoraalem suorum missionariorum et catechistarum pertinentes (cfr. *Ad gentes*, variis locis).

3° fovere strictas relationes cum moderatoribus Institutorum, quae forte laborant in suis territoriis (cfr. *Ad gentes*, n. 32).

4° excitare spiritum missionarium laicorum (cfr. *Ad gentes*, n. 21).

Difficile est, animadvertit Rev. mus tertius Consultor, de mediis pro evangelizatione sermonem facere in lege generali ad particularia descendendo, ob conditionum varietatem in terris missionum: ideoque res remittenda est ad loci Ordinarium.

Habita aliqua disceptatione, Rev. mus Secretarius Ad. hunc proponit textum:

§1. Iuxta normas ab Episcoporum Conferentiis statutas, Episcopi est in suo territorio:

1° promovere, moderari et coordinare quae ad actionem missionalem spectant incepta et opera (cfr. *Ad gentes*, n. 30);

2° normas edere quae ad praeparationem pastoraalem suorum missionariorum et catechistarum pertinent (cfr. *Ad gentes*, passim);

3° curare ut debitae ineantur conventiones cum Moderatoribus Institutorum quae operi missionali se dedicant, utque relationes cum iisdem in bonum cedant Missionis (cfr. *Ad gentes*, n. 32);

4° operam dare ut etiam in christifidelibus laicis suscitetur spiritus missionarius (cfr. *Ad gentes*, n. 21).

§ 2. Praescriptis ab Episcopis editis, quae sacri apostolatus exercitium respiciunt, subsunt omnes missionarii, etiam religiosi exempti, eorumque auxiliares, in eius ditione degentes.

Placet totus canon.

Canon 10

Conferentiae Episcopalis extra missiones existentis est opera instituire et promovere, quibus illi qui laboris et studii causa ex terris missionum

immigrant evangelizentur et ita formentur ut in patriam reduces alacriter apostolatum exercent apud suos compatriotas (cfr. *Ad gentes*, n. 38).

Rev.mus tertius Consultor notat rem, quae in textu proposito consideratur, maximi momenti esse, etsi hic locum tenet ad appendicis instar.

Rev.mus Secretarius Ad., audita omnium sententia, rem exprimendam hoc modo proponit:

« Episcoporum Conferentiae diversarum regionum opera instituant ac promoveant, quibus qui e terris missionum laboris aut studii causa ad territorium suum accedunt, fraterne accipiantur ac congruenti pastoralis cura adiuventur.

Placet.

Sic explicit de sacris missionibus pro hac Sessione tractatio.

IV

DE FIDEI PROFESSIONE

Demum quaestio De Fidei Professione aggreditur, de qua in tit. XXIV Codicis, cc. 1406-1408, quae primo delibatur.

In consideratione Codicis canonum haec quae sequuntur notata sunt.

Canon 1406 CIC

Ad § 1 quod attinet, nn. 1 et 2 retinendi sunt uti iacent. Postea videbitur quoad n. 2 quid erit. In n. 3 melius est dicere « promoti ad episcopatum » loco « ad sedem episcopalem ». Cadit insuper verbum « nullius » et adiungitur « cuius est populus », atque « vel... qui nominantur vicarius vel praefectus apostolicus ».

In n. 4, loco « Vicarius Capitularis » dicatur « Administrator dioecesis coram collegio deputatorum vel capitulo cathedrali ad normam can... ».

In n. 5: supprimantur verba « dignitatem... » et eius loco dicatur: « qui ad canonicatum promoti sunt, aut in capitulo munus praesidis exercent ».

In n. 6 consideranda sunt etiam Consilium Presbyterale et Consilium Pastorale et omnes consentiunt ut dicatur « coram loci Ordinario eiusve delegato atque coram aliis membris, qui membra eliguntur aut nominantur consilii presbyteralis et pastoralis ». Placet.

In n. 7 videtur servanda vel facienda mentio de Vicario Generali, Vicariis Episcopalibus, parochis aliisque officium exercentibus quod curam animarum amplectetur, rectore, professoribus sacrae theologiae, philosophiae et iuris canonici initio suscepti muneris; omnibus promovendis ad

ordinem diaconatus; et aliis iuxta S. Sedis et Episcoporum Conferentiae decreta.

Deletur ideo mentio de iis quibus provisum fuit de beneficiis quibusvis; de sacerdotibus confessionibus excipiendis destinatis et sacris concionatoribus...; librorum censoribus.

In n. 8 adiungendum est verbum « catholicae » post « Universitatis vel Facultatis ». Professio fidei emittatur tantum initio suscepti muneris ex parte Rectoris et Professorum. Dicatur insuper quod fidei professio emittenda est pro Rectore et Professoribus « coram Ordinario in quo sedem habet Universitas aut coram Superiore Religionis ad quam Universitas vel Facultas pertinet; item quod professores emittere debent professionem aut coram eodem Ordinario vel superiore, eorumve delegato, aut coram Universitatis Facultatisve Rectore, si sit sacerdos. Remanet mentio de iis qui, periculo facto, academicis gradibus donantur.

N. 9 potest remanere. Potest supprimi § 2.

Canon 1407 CIC

Potest retineri.

Canon 1408 CIC

Non sustinetur uti canon per se stans. Quae hic dicuntur in capite § 1 can. 1406 exprimantur verbis: « Reprobata quaelibet contraria consuetudine, obligatione professionem fidei emittendi, secundum formulam a Sede Apostolica probatam, tenentur... ». Placet.

Ita materia disceptationis Sessionis Vae Coetus De Magisterio Ecclesiastico explicet.

Romae, die 20 martii 1971.

M. DE NICOLÒ
Adiutor a studiis

CANONES RECOGNITI

I

DE INSTITUTIONE CLERICORUM

Canon 1 (1352 CIC)

Ecclesiae officium est atque ius proprium et exclusivum eos instituendi qui, ut ad ministeria ecclesiastica deputentur, se praeparent.

Canon 2 (novus)

Auctoritates quae de clericorum institutione normas edant competentes sunt S. Sedes atque, ad institutionem clericorum dioecesanorum quod attinet, Episcoporum Conferentiae regionis et districtus regionalis necnon Episcopi dioecesani, ad normam canonum qui sequuntur, ad institutionem clericorum in Institutis necnon Societatibus clericorum, quibus ius incardinandi competit, quod spectat, eorum Superiores, ad normam iuris et Constitutionum.

Canon 3 (1353 CIC)

§ 1. Universae communitati christianae officium incumbit fovendarum vocationum, ut necessitatibus ministeriorum in tota Ecclesia sufficienter provideatur; in specie:

1° ipsi parentes christiani curent ut familiae suae ambitus spiritu fidei, caritatis et pietatis animatus sit, in quo germina vocationis oriri possint ac sustententur;

2° magistri atque omnes qui in puerorum iuvenumque institutione aliquam partem habent, praecipue Consociationes iuvenum catholicae, educationis rationem instituant quae apta sit etiam ad vocationes excolendas;

3° peculiari ratione sacerdotes, prae caeteris parochi, recta doctrina, zelo apostolico ac propria vita sacerdotali laeto animo peracta, adolescentibus eximium vitae ministerialis valorem ostendant, atque debita cum prudentia semper ad vocationes sacerdotales suscitandas, easque, si quas percipere existiment, fovendas, operam dent;

4° Episcopi, quorum maxime est de vocationibus provehendis curam habere, populum sibi commissum de momento ministerii sacri deque ministrorum in Ecclesia necessitate edoceant, incoepa ad vocationes fo-

vendas, opera praesertim ad hoc instituta, suscitent, sustentent ac, consiliis etiam initis cum aliis Episcopis necnon Superioribus Religiosis, coordinent, atque quos ad divina ministeria vocatos iudicaverint omni spe adiuvent (cfr. *Decr. Optatam totius*, n. 2; *Decr. Apostolicam auctositatem*, n. 11).

§ 2. Solliciti sint etiam sacerdotes, praesertim vero Episcopi, ut qui maturioris aetatis viri ad ministeria divina sese vocatos aestiment, prudenter verbo opereque adiuventur ac debite praeparentur.

Canon 4 (1354 CIC)

§ 1. Prout id sinant locorum adiuncta, serventur ubi existunt Seminaria minora aliave instituta id genus, in quibus nempe, vocationum fovendarum gratia, provideatur ut peculiaris formatio religiosa una cum institutione humanistica et scientifica tradatur; immo ubi id expedire iudicaverit Episcopus dioecesanus, Seminarii minoris similisve instituti erectioni propiciat.

§ 2. In seminariis minoribus similibusque institutis, ubi exstent, si id de iudicio Episcoporum Conferentiae expediat, admitti possunt iuvenes, virtute quidem praestantes, etiam qui sese ad sacra ministeria vocatos non aestiment.

§ 3. Nisi certis in casibus, de iudicio Episcoporum Conferentiae, adiuncta aliud suadeant, iuvenes quibus animus est ut ad sacerdotium admittantur, ea ornentur humanistica et scientifica formatione, qua iuvenes in sua cuiusque regione ad studia superiora peragenda praeparentur; semper ea saltem studia peragant oportet quae ipsis, si ad alium vitae statum dein animum verterint, proficiant.

Canon 5 (1354, § 2 CIC)

§ 1. Adolescentes, qui ad sacerdotium accedere intendunt, ad formationem spiritualem eidem convenientem et ad officia ei propria instituantur in Seminario maiori, sive per totum formationis tempus, sive, si de iudicio Episcoporum Conferentiae regionis ecclesiasticae aliud circumstantiae suadeant, per tres vel quattuor saltem annos.

§ 2. Extra Seminarium solummodo eandem formationem recipere possunt, ubi personarum vel temporum adiuncta id requirant, in casibus peculiaribus ab Episcoporum Conferentia regionis ecclesiasticae determinatis.

§ 3. Qui extra seminarium legitime morantur, ab Ordinario commendentur pio et idoneo sacerdoti, qui invigilet ut ad vitam spiritualem et ad

disciplinam sedulo efformentur; curet etiam Ordinarius ut omnes qui ad sacra ministeria se praeparant illam inter se consuetudinem habeant, qua fraterna inter eos habitudo quam maxime foveatur.

Canon 6 (1354 §§ 2 et 3 CIC)

Seminaria maiora habeantur sive pro ipsa dioecesi, ubi id fieri possit et expediat, sive pro variis simul dioecesibus, secundum Episcoporum Conferentiae regionis ecclesiasticae aut districtus regionalis aestimationem.

Canon 7 (novus)

Seminaria legitime condita ipso iure personalitate iuridica in Ecclesia gaudent.

Canon 8 (1358-1359 CIC)

§ 1. In quolibet Seminario habeantur Rector, qui, generale eius moderamen curans, ei praesit, et si casus ferat Vice-Rector, atque si alumni in ipso Seminario studiis se dedant, etiam magistri seu professores, qui, composita inter se earundem coordinationis ratione, varias disciplinas tradant.

§ 2. In quolibet Seminario unus saltem adsit spiritus director, relicta libertate alumnis adeundi alios sacerdotes, qui de spirituali alumnorum formatione curam habeant.

§ 3. Duplex habeatur pro iis quae vitam Seminarii internam respiciunt coetus deputatorum:

1° alter constituatur, cuius membra ab Episcopo dioecesano, aut si agatur de Seminario interdioecesano ab Episcopis quorum interest, audito Consilio presbyterali, eligantur sacerdotes, quos Episcopus Episcopi-ve consulere possunt, immo et in negotiis maioris momenti audire debent;

2° alter constituatur, cuius membra, secundum praescripta Episcoporum Conferentiae, designentur aliqui Seminarii professores immo vel, in Seminario Maiori, etiam aliqui alumni, qui ad disciplinam praesertim in Seminario servandam Rectori operam praestent.

§ 4. Praeterea habeatur coetus deputatorum pro bonorum temporalium administratione, cuius membra ab Episcopo, aut si agatur de Seminario interdioecesano ab Episcopis quorum interest, audito item Consilio presbyterali, eligantur clerici vel etiam laici in re oeconomica periti; hoc

munere fungi non possunt Rector et oeconomus et directores spiritus Seminarii necnon Vicarii generales et episcopales dioecesis.

§ 5. Deputati, de quibus in § 3, n. 1 et § 4, ad sexennium eligantur, sed iterum ad aliud sexennium eligi possunt, nec sine gravi causa amoveantur.

Canon 9 (1361 CIC)

§ 1. Praeter confessarios ordinarios, alii regulariter ad Seminarium accedant confessarii, atque, salva quidem Seminarii disciplina, integrum semper sit alumnis quemlibet confessarium sive in Seminario sive extra illud adire.

§ 2. In decisionibus ferendis de alumnis ad ordines admittendis aut e Seminario dimittendis, numquam confessoriorum votum exquiri potest.

(De alumnis)

Canon 10 (CIC 1363)

§ 1. Ad Seminarium maius ab Episcopo dioecesano admittantur tantummodo iuvenes qui, attentis eorum dotibus humanis et moralibus, spiritualibus et intellectualibus, eorum valetudine physica et psychica atque conditione familiae, necnon eorum recta voluntate, habiles aestimantur qui ministeriis pastoralibus stabiliter sese dedident (cfr. Decr. *Optatam totius*, n. 6).

§ 2. Antequam recipiantur, documenta exhibere debent de susceptis baptismo et confirmatione aliaque quae, secundum praescripta Institutionis sacerdotalis Rationis in regione vigentis, requirantur.

§ 3. Qui ex alio Seminario vel ex aliquo Instituto religioso dimissi sunt aut sua sponte discesserunt, ne admittantur, nisi prius Episcopus dioecesanus a Rectore Seminarii aut Superiore Instituti notitias obtinuerit de causa eorundem dimissionis aut discessus ac de eorum indole, moribus et ingenio, atque certo compererit nihil in eis esse quod Dei ministris minus conveniat; quas notitias Superiores, rogati, secundum veritatem suppeditare debent.

Canon 11 (novus)

Si id ad alumnorum pleniorum formationem maturioremve ad sacros Ordines praeparationem opportunum aestimaverint, Episcoporum Conferentiae decernere valent ut candidati, sive omnes, sive, secundum iudicium Episcopi dioecesani, aliqui, probationi pro tempore determinato su-

biiciantur, et quidem aut expleto curriculo studiorum philosophico-theologico, post receptum nempe ordinem diaconatus, ad normam can. (de Sacra Ordinatione), aut etiam ineunte vel decurrente eodem studiorum curriculo (cfr. S. Congregatio pro Institutione Catholica, *Ratio fundamentalis institutionis sacerdotalis*, n. 42).

Canon 12 (novus)

Antequam alumnis Seminarii ordinationes sacrae conferantur, Rector Seminarii de eorundem idoneitate et aptitudine ad vitam ordini congruentem ducendam inquisitionem instituat, audiendo eorum parochos, aliosque qui eosdem bene noverint, sacerdotes, immo vel delectos laicos, collectasque notitias transmittat Episcopo dioecesano, cuius est de candidatorum idoneitate iudicare (cfr. *Ratio fundamentalis*, n. 41).

(De Institutione sacerdotali in genere)

Canon 13 (novus)

§ 1. In singulis regionibus ecclesiasticis, sicut et in singulis provinciis ecclesiasticis quae ad regionem ecclesiasticam non pertineant, habeatur *Institutionis sacerdotalis Ratio*, ab Episcoporum Conferentia, attentis quidem normis a suprema Ecclesiae auctoritate latis, statuenda et a Sancta Sede approbanda, novis quoque adiunctis, approbante item Sancta Sede, accommodanda, qua institutionis in Seminario tradendae definiantur summa principia atque normae generales necessitatibus pastoralibus uniuscuiusque regionis, vel provinciae, aptatae.

§ 2. Normae Rationis de qua in § 1 servantur in omnibus cleri dioecesani Seminariis tum dioecesanis tum interdioecesanis regionis, vel provinciae ecclesiasticae pro qua statuuntur (cfr. Decr. *Optatam totius*, n. 1; *Ratio fundamentalis*, n. 1).

Canon 14 (novus)

Habeat insuper unumquodque Seminarium Ordinationem propriam (Règlement, Lebensordnung, regolamento, Rule of Life, regolamento), ab Episcopo dioecesano aut, si de Seminario interdioecesano agatur, ab Episcopis quorum interest, probatam, qua normae Institutionis sacerdotalis Rationis, de qua in can. 13, adiunctis particularibus accommodentur, ac pressius determinentur quae disciplinae praesertim capita ad alumnorum cotidianam vitam et totius Instituti ordinem spectant (cfr. *Ratio fundamentalis*, nn. 2 et 25).

Canon 15 (novus)

Alumnorum in Seminario formatio spiritualis ac institutio doctrinalis et pastoralis harmonice componantur atque ad id ordinentur ut iidem maturitatem humanam, uniuscuiusque indoli convenientem, acquirant atque animi fortitudine in fide vivenda et testanda ac evangelica caritate emineant, atque ita apti evadant ut viva Aeterni Sacerdotis instrumenta efficiantur qui, Dei servitio ac hominum ministerio pastoralis totaliter sese devoventes, mirabile Christi opus salutis persequi valeant (cfr. Decr. *Optatam totius*, n. 4; Decr. *Presbyterorum Ordinis*, n. 8, 11 et 12).

*(De formatione spirituali)**Canon 16 (novus)*

§ 1. Institutio spiritualis, quae cum doctrinali et pastoralis arcte coniuncta sit oportet, ita impertiatur, ut alumni spiritu Evangelii reapse imbuantur et intima totius vitae ordinatione configurentur Christo (cfr. Decr. *Optatam totius*, n. 8; *Ratio fundamentalis*, n. 44).

§ 2. Prae oculis constanter habito fine pastoralis totius formationis ministerialis, ita instituantur alumni ut secundum totum hominem maturecant et gratiam baptismalem, qua homo elevatur, ad perfectionem evolvant; ad spiritum missionalem efformentur, discentes ministerium in caritate semper impletum ad propriam sanctificationem praecipue conferre; illas excolere discant virtutes quae in hominum consortione pluris fiunt et ipsa caritate christiana requiruntur; ita quidem ut ad harmonicam conciliationem inter bona humana et supernaturalia pervenire valeant (cfr. Decr. *Optatam totius*, n. 11; Decr. *Presbyterorum Ordinis*, n. 3; *Ratio fundamentalis*, nn. 45 et 51).

§ 3. Ita formentur alumni ut amore Ecclesiae Christi reapse sint imbuti, Pontifici Romano Petri successori humili et filiali caritate devincti atque proprio Episcopo tanquam fidi cooperatores devotive adiutores adhaerentes et sociam cum fratribus operam praestantes; per vitam in Seminario communem, atque per amicitiae coniunctionisque necessitudinem cum aliis exultant praeparentur ad unionem communitatis dioecesani Presbyterii, cuius in Ecclesiae servitio erunt consortes (cfr. Decr. *Presbyterorum Ordinis*, nn. 8 et 9; *Ratio fundamentalis*, nn. 47 et 49).

Canon 17 (CIC 1367)

§ 1. Celebratio Eucharistica, quae communionem sacramentalem consummatur, centrum sit totius vitae Seminarii, ita ut alumni, ipsam Christi ca-

ritatem participantes animi robur pro futuro apostolico labori et pro sua vita spirituali ex hoc ditissimo praesertim fonte hauriantur (cfr. *Ratio fundamentalis*, n. 52).

§ 2. Formationi ad cultum Eucharisticum iungatur formatio ad divinum officium, quo Dei ministri, nomine Ecclesiae pro toto populo sibi commissio, immo pro universo mundo, Deum deprecantur (cfr. Decr. *Presbyterorum Ordinis*, n. 5; *Ratio fundamentalis*, n. 53).

§ 3. Institutionis sacerdotalis ratione foveantur etiam quae venerando Ecclesiae usu commendata sunt pietatis exercitia quibus alumni spiritum orationis acquirant atque vocationis suae robur consequantur (cfr. Decr. *Optatam totius*, n. 8).

§ 4. Ad Sacramentum Paenitentiae frequenter accedere assuescant alumni, et unusquisque habeat directorem spirituales, libere quidem electum, cui confiderenter conscientiam aperire possit (cfr. *Ratio fundamentalis*, n. 55).

§ 5. Singulis annis alumni exercitiis spiritualibus vacent, ratione et modo in Ratione institutionis sacerdotalis determinatis.

Canon 18 (novus)

§ 1. De oneribus quae ministris Ecclesiae propria sunt alumni debite reddantur certiores, nulla vitae sacerdotalis difficultate reticita.

§ 2. Ad servandum statum coelibatus, quem qui libere amplectantur soli in Ecclesia latina ad sacerdotium admittuntur, aptis mediis praeparantur eumque ut peculiare Dei donum in honore habere discant (cfr. Decr. *Optatam totius*, n. 10; Decr. *Presbyterorum Ordinis*, n. 16; PAULUS IV, Litt. Enc. *Sacerdotalis coelibatus*, 24 iun. 1967: AAS, 59 (1967), 657-697).

(De institutione doctrinali)

Canon 19 (novus)

Institutio doctrinalis tradenda id intendit ut alumni, una cum cultura generali necessitatibus loci ac temporis consentanea, amplam atque solidam acquirant in scientiis sacris doctrinam, ita ut, propria fide inde fundata et nutrita, Evangelii doctrinam hominibus sui temporis apte atque ratione eorundem ingenio accommodata nuntiare valeant (cfr. Decr. *Optatam totius*, nn. 13-17; Const. past. *Gaudium et spes*, nn. 58, 62; Decr. *Ad gentes*, n. 16; *Ratio fundamentalis*, n. 59).

Canon 20 (CIC 1364, 2° et 3°)

§ 1. Licet alumni, ad normam can. 4, § 3, ad Seminarium accedere valeant tantum post adeptam humanisticam et scientificam formationem, haec eorundem formatio, prout id expedire videatur, prioribus praesertim curriculi studiorum annis, in Seminario compleatur, secundum praescripta Institutionis Rationis in regione vigentis.

§ 2. Eadem Institutionis ratione provideatur ut alumni non tantum accurate lingua patria sint edocti, sed ut congruam habeant cognitionem linguae latinae necnon alienarum linguarum, quarum scientia ad eorum formationem, temporis ac loci adiunctis convenientem aut ad ministerium pastorale futurum exercendum necessaria aut utilis videatur.

Canon 21 (CIC 1365)

Quae in ipso Seminario ordinantur studia philosophica et theologica, iuxta Institutionis sacerdotalis Rationem, sive successive sive coniuncte peragi possunt; eadem completum saltem sexennium complectantur, ita quidem ut tempus philosophicis disciplinis dedicatum integrum biennium, tempus studiis theologicis deditum integrum quadriennium adhaequet (cfr. *Ratio fundamentalis*, nn. 60, 70 et 76).

Canon 22 (novus)

Incipiente curriculo studiorum philosophico-theologicorum, alumni tradatur introductio generalis, per congruum tempus protracta, qua quidem, disciplinis philosophica et theologica apte compositis, alumni studiorum ecclesiasticorum sensum, ordinem ac finem pastorem conspiciant simulque ad propriam vitam universam fide fundandam iuventur (cfr. Decr. *Optatam totius*, n. 14; *Ratio fundamentalis*, nn. 61 et 62).

Canon 23 (novus)

Philosophica institutio, quae innixa sit oportet patrimonio philosophico perenniter valido, cuius magistri et testes praesertim sunt praeclari philosophi christiani, sed et rationem habeat requiritur philosophicae investigationis progredientis aetatis, ita tradatur ut alumnorum formationem humanam reapse perficiat eorumque mentis acutiem provehat, atque eos ad studia theologica perficienda necnon ad ministeria apostolica obeunda aptiores reddat (cfr. Decr. *Optatam totius*, n. 15; Const. past. *Gaudium et Spes*, n. 44, 59; Decl. *Gravissimum educationis*, n. 10; Decr. *Ad gentes*, n. 16).

Canon 24 (CIC 1365 § 2)

§ 1. Institutio theologica, in lumine fidei, sub Magisterii ductu, ita impertiatur, ut alumni integram doctrinam catholicam, divina Revelatione innixam, percognoscant, propriae vitae spiritualis reddant alimentum eamque, ministerium exercentes, rite annuntiare ac tueri valeant (cfr. Decr. *Optatam totius*, n. 16).

§ 2. In Sacra Scriptura, quae universae theologiae veluti anima esse debet (cf. LEO XIII, Enc. *Providentissimus Deus*, 18 nov. 1893: ASS, 26 [1893], p. 283), peculiari diligentia erudiantur alumni; congrua praevia introductione praemissa, methodo exegeseos initientur ac ita edoceantur ut totius Sacrae Scripturae conspectum acquirant (cfr. Decr. *Optatam totius*, n. 16; Const. *Dei Verbum*, n. 23; *Ratio fundamentalis*, n. 78).

§ 3. Lectiones habeantur Theologiae dogmaticae, positivae atque speculativae, textibus Sacrae Scripturae semper innixae; itemque lectiones Theologiae moralis et pastoralis, Liturgiae, Historiae ecclesiasticae, Iuris canonici necnon aliarum disciplinarum auxiliarium atque specialium, ad normam praescriptorum Institutionis sacerdotalis Rationis.

Canon 25 (CIC 1366)

§ 1. Ad magistri munus in disciplinis philosophicis, theologis et iuridicis, ab Episcopo aut ab Episcopis quorum interest, audito coetu deputatorum Seminarii, de quo in can. 8, 1° necnon eiusdem Rectore et Professorum collegio, ii, ceteris paribus, nominentur qui Laurea doctorali potiti sunt in Universitate studiorum aut Facultate a Sancta Sede recognita, aut, si agatur de Religiosis, qui ad normam Constitutionum licentia docendi donati sunt (cfr. *Ratio fundamentalis*, n. 33).

§ 2. Distincti totidem nominentur Magistri ad docendam S. Scripturam, Theologiam dogmaticam, Theologiam moralem, Historiam ecclesiasticam, Ius canonicum aliasque, quae propria methodo tradendae sunt, disciplinas.

Canon 26 (novus)

§ 1. Magistri in disciplinis tradendis de intima universae doctrinae fidei unitate et harmonia iugiter solliciti sint, ut unam scientiam alumni se discere experiantur; quod ut aptius obtineatur, adsit in Seminario qui integram studiorum ordinationem moderetur (cfr. Decr. *Optatam totius*, nn. 5, 17; Const. *Sacrosanctum Concilium*, n. 16).

§ 2. Curent ut universa institutio doctrinalis tradatur ratione ingenio ac indoli uniuscuiusque populi propriis accommodata.

§ 3. Edoceant alumnos ita ut et ipsi habiles fiant qui aptis investigationibus propriis quaestiones scientifica methodo examinent; instituantur igitur exercitationes, in quibus, sub moderamine magistrorum, alumni proprio labore studia quaedam persolvere discant.

(*De institutione pastorali*)

Canon 27 (novus)

Licet universa alumnorum in Seminario formatio pastorem finem persequatur, institutio stricte pastoralis in eodem ordinetur, qua alumni edoceantur quae, attentis quoque loci ac temporis necessitatibus, ad ministerium Dei populum docendi, sanctificandi et regendi exercendum pertinent principia et artes (cfr. Decr. *Optatam totius*, n. 4).

Canon 28 (novus)

§ 1. Diligenter instruantur alumni in iis quae peculiari ratione ad sacrum ministerium spectant, praesertim in arte catechetica et homiletica exercenda, in cultu divino et sacramentis celebrandis, in pastorali, attenta etiam eorum conditione propria, cum hominibus, etiam non catholicis vel non credentibus, commercio habendo, in paroecia administranda atque in ceteris pastoralibus muneribus adimplendis.

§ 2. Instituantur in variis efficacioribusque apostolatus formis, necessitatibus loci ac temporis aptatis (cfr. Decr. *Optatam totius*, n. 20; Decr. *Christus Dominus*, nn. 17-18; Decr. *Presbyterorum ordinis*, n. 9).

§ 3. Edoceantur alumni de universae Ecclesiae necessitatibus, de quaestionibus oecumenicis, de missionalibus, necnon de aliis, socialibus quoque, in variis terrarum partibus urgentioribus (cfr. Decr. *Optatam totius*, n. 20; Const. dogm. *Lumen gentium*, nn. 17, 23; Decr. *Christus Dominus*, n. 6; Decr. *Ad gentes*, n. 39; Decr. *Orientalium Ecclesiarum*, n. 4; PAULUS VI, Litt. Enc. *Populorum progressio*, 2 apr. 1967: AAS, 49 (1967), 257 s.).

Canon 29 (CIC 1365, § 3)

Ut apostolatus exercendi artem in opere ipso etiam addiscant, alumni, sive studiorum curriculo decurrente sive feriarum tempore, praxi pastorali initientur per opportunas, sub moderamine sacerdotis periti habitas, exer-

citationes, alumnorum aetati et locorum conditioni aptatas, de iudicio Episcoporum Conferentiae, si id expedire iudicaverint, in Institutionis Ratione, statuere valent ut iidem certo tempore, per aliquot dies singulis hebdomadis, studiorum pastoralium vacent, aut alia ratione per determinatum tempus in re pastoralis aptius instituantur (cfr. S.C. pro Clericis, Litterae circulares De permanenti Clero, maxime iunioris, institutione et formatione, 4 nov. 1969, nn. 16-21).

Canon 30 (novus)

Quo formatio neo-sacerdotum etiam post Seminarium perficiatur Episcoporum Conferentiae, si id expedire iudicaverint, in Institutionis Ratione, statuere valent ut iidem certo tempore, per aliquot dies singulis hebdomadis, studiorum pastoralium vacent, aut alia ratione per determinatum tempus in re pastoralis aptius instituantur (cfr. S.C. pro Clericis, Litterae circulares De permanenti Clero, maxime iunioris, institutione et formatione, 4 nov. 1969, nn. 16-21).

(De disciplina generali)

Canon 31 (CIC 1357)

§ 1. Episcopo dioecetano, aut si de Seminario interdioecetano agatur Episcopis quorum interest, competit quae ad Seminarii supremum regimen et administrationem spectant decernere, attentis praescriptis a Sancta Sede necnon ab Episcoporum Conferentia statutis.

§ 2. Episcopus dioecetanus, et si de Seminario interdioecetano agatur Episcopi quorum interest, frequenter Seminarium per se visitent, in formationem suorum alumnorum spiritualem et ecclesiasticam necnon quae in eodem tradatur philosophicam et theologicam invigilent, et de alumnorum vocatione, indole, pietate ac profectu cognitionem omni ope sibi comparent, maxime intuitu sacrarum ordinationum conferendarum.

Canon 32 (CIC 1360 § 1)

Rectori, cuius est cotidianum moderamen Seminarii, ad normam Institutionis Rationis ac Seminarii Ordinationis, curare, in propriis muneribus adimplendis omnes obtemperare debent.

Canon 33 (CIC 1369 §§ 1 et 3)

§ 1. Seminarii Rector, itemque, sub eiusdem auctoritate, moderatores et professores curent ut alumni normas Ratione Institutionis sacerdotalis necnon Seminarii Ordinatione praescriptas adamussim servent.

§ 2. Sedulo provideant Seminarii Rector atque studiorum moderator ut magistri suo munere rite fungantur, secundum praescripta Rationis institutionis sacerdotalis ac Seminarii Ordinationis.

Canon 34 (CIC 1368)

Exemptum a regimine paroeciali Seminarium esto: et pro omnibus qui in Seminario sunt, parochi officium, excepta materia matrimoniali et firmiter praescripto can. (891), obeat Seminarii Rector eiusve delegatus.

*(De sustentatione Seminarii)**Canon 35 (novus)*

Seminarii constitutioni et conservationi, alumnorum sustentationi necnon professorum remunerationi providere debent Episcopus dioecesanus, aut, si de Seminario interdioecesano agatur, pro rata parte singuli Episcopi dioecesani quorum alumni in Seminario instituuntur.

Canon 36 (novus)

Anno ineunte Coetus deputatorum Seminarii de quo in can. 8, § 4, conficiat quaestuum et erogationum quae pro Seminarii administratione praevidentur rationem, annoque vertente accepti atque expensi rationem, ab Episcopis quorum interest probandas.

Canon 37 (CIC 1355)

Ut Seminarii constitutioni et conservationi atque alumnorum professorumque sustentationi provideatur, si proprii redditus deficient, possunt Episcopi:

1° parochos aliosque ecclesiarum, etiam exemptarum, rectores iubere ut statis temporibus in ecclesia ad eum finem stipem exquirant.

2° tributum seu *taxam* in dioecesi imperare.

Canon 38 (CIC 1356)

§ 1. Tributo pro Seminario obnoxia sunt, reprobata qualibet contraria consuetudine et abrogato quolibet privilegio, mensa episcopalis, quaelibet paroeciae, quamvis alios redditus quam fidelium oblationes non habeant, christifidelium consociationes publicae itemque privatae quae personalitate iuridica in Ecclesia gaudent, necnon domus religiosae, etsi exemptae, nisi solis eleemosynis sustententur aut in eis collegium discentium vel docentium ad commune Ecclesiae bonum promovendum actu habeatur.

§ 2. Tributum de quo in § 1 debet esse generale, redditibus eorum qui eidem obnoxii sunt proportionatum atque iuxta necessitates Seminarii determinatum, secundum praescripta Episcoporum Conferentiae regionis, a Sancta Sede probanda.

II DE LIBRIS ET INSTRUMENTIS COMMUNICATIONIS SOCIALIS

Canon 1 (novus)

Ecclesiae pastores, quippe quorum est veritates fidei annuntiare ac tueri necnon morum integritatem tutari, curent ut ministerio verbi praesertim fidelibus proferatur officium quo tenentur prospiciendi ut coeperentur ad fidei veritates integre proponendas et servandas moresque sartas tectas habendas, necnon providendi ne scripta aut instrumentorum communicationis socialis usus fidei aut moribus nocumento sint (cfr. *Decr. Inter mirifica*, I, n. 3).

Canon 2 (CIC 1384, § 1)

§ 1. Ut veritatum fidei morumque integritatem servant ac tueantur, ius est Ecclesiae pastoribus invigilandi ne christifideles scriptis aut usu instrumentorum communicationis socialis detrimento sint fidei aut moribus; item exigendi ut quae fidem moresve tangant scripta edenda aut orationes instrumentis communicationis socialis diffundendae, suae approbationi subiiciantur; necnon prohibendi quominus christifideles certos libros legant, immo vel retineant aut vendant, aut cum aliis communicent.

§ 2. Ius de quo in § 1 competit Episcopis, tum singulis tum in Conciliis particularibus Episcoporumve Conferentiis adunatis quoad christifideles suae curae commissos, atque supremae Ecclesiae auctoritati quoad universum Dei populum.

Canon 3 (CIC 1385, § 2; 1384, § 2)

§ 1. Nisi aliud statuatur, loci Ordinarius, cuius approbatio ad libros edendos iuxta canones huius tituli petenda est, est loci Ordinarius proprius auctoris aut Ordinarius loci in quo libri publici iuris fiant, aut Ordinarius loci in quo imprimantur, ita tamen ut, si eorundem quis approbationem denegaverit, non liceat auctori eandem ab alio petere, nisi eundem de denegata ab alio approbatione certiore faciat.

§ 2. Quae in canonibus huius tituli statuuntur de libris praescripta, quibuslibet editis scriptis applicanda sunt, nisi aliud constet.

Canon 4 (CIC 1385, § 1, nn. 1, 3; 1391)

§ 1. Libri Sacrarum Scripturarum edi non possunt nisi quae aut ab Apostolica Sede aut a loci Ordinario approbati sint; itemque eorundem versiones in linguam vernaculam ut edi possint, requiritur ab eadem auctoritate sint approbatae atque insimul necessariis et sufficientibus explanationibus sint instructae.

§ 2. Versiones Sacrarum Scripturarum, communi etiam cum fratribus seiunctis opera, parare atque edere possunt christifideles catholici, de consensu loci Ordinarii.

(cfr. Const. *Dei Verbum*, nn. 22, 25).

Canon 5 (CIC 1390)

§ 1. Libri liturgici itemque eorum versiones in linguam vernaculam eorumve partes ne edantur nisi de mandato Episcoporum Conferentiae atque sub eiusdem vigilantia, approbante etiam Apostolica Sede.

§ 2. Ut iterum edantur libri liturgici qui a Sede Apostolica probati sunt necnon eorum versiones in linguam vernaculam ad normam § 1 factae et approbatae, eorumve partes, constare debet de concordantia cum editione approbata ex attestatione Ordinarii loci in quo imprimuntur aut publici iuris fiunt.

Canon 6 (CIC 1385, § 1, n. 2)

§ 1. Commendatur ut approbationi Ordinarii subiiciantur libri qui quaestiones ad Sacram Scripturam, ad Sacram Theologiam, historiam ecclesiasticam, ius canonicum, theologiam naturalem, ethicam aliasve religiosas aut morales disciplinas pertinentes spectant, necnon scripta in quibus aliquid habeatur quod religionis aut morum honestatis peculiariter intersit.

§ 2. Libri de quibus in § 1, tantummodo si cum approbatione loci Ordinarii editi sint, in scholis sive elementariis, sive mediis sive superioribus, adhiberi possunt uti textus quibus innititur institutio quae traditur.

Canon 7 (CIC 1387)

Scripta quae ad causas beatificationis et canonizationis servorum Dei pertinent, sine licentia S. Congregationis pro causis Sanctorum edi nequeunt.

Canon 8 (CIC 1389)

Collectiones decretorum aut actorum ab aliqua auctoritate ecclesiastica editas, iterum edere non licet, nisi impetrato prius eiusdem auctoritatis assensu et servatis condicionibus ab eadem praescriptis.

Canon 9 (CIC 1386)

In diariis, foliis aut libellis periodicis, qui religionem catholicam aut bonos mores manifesto impetere solent, ne quidpiam conscribant christifideles, nisi iusta et rationabili de causa; clerici autem et Institutorum religiosorum aut saecularium sodales, approbante tantummodo loci Ordinatio.

Canon 10 (CIC 1385, § 3)

Institutorum religiosorum aut saecularium sodales ut scripta edere possint, licentia egent sui Superioris maioris ad normam Constitutionum.

Canon 11 (CIC 1391, § 1)

Approbatio textus alicuius operis textui originali, non autem aliis editionibus nec translationibus eiusdem operis, suffragatur.

Canon 12 (CIC 1393)

§ 1. In Curiis episcopalibus praesto sint librorum censores, scientia, recta doctrina et prudentia praestantes, a loci Ordinario aut ab Episcoporum Conferentia designati.

§ 2. Censores, in suo obeundo officio, omni personarum acceptione seposita, prae oculis tantummodo habeant Ecclesiae de fide et moribus doctrinam, uti a Magisterio ecclesiastico proponitur.

§ 3. Censor sententiam suam scripto dare debet; quae si faverit, Ordinarius licentiam concedat ut editio fiat cum sua approbatione, expresso suo nomine necnon tempore ac loco concessae approbationis; quod si non detur approbatio, rationes denegationis operis scriptori Ordinarius communicet.

III
DE SACRIS MISSIONIBUS
(CIC cann. 1350-1351)

Canon 1

Summo Pontifici, cui (ad normam can. 60 *Legis Ecclesiae fundamentalis*) singulari modo munus christiani nominis diffundendi demandatum est, competit suprema directio et coordinatio inceptorum et actionum quae ad opus missionale atque ad cooperationem missionariam pertinent (cfr. Decr. *Ad gentes*, n. 6).

Canon 2

Actio missionalis Ecclesiae perducitur usquedum novellae Ecclesiae plene constituentur in Ecclesias particulares, praecipuis quidem instructas mediis quae requiruntur ut opus evangelizandi per se ipsae peragere valeant (cfr. Const. dogm. *Lumen gentium*, n. 17; Decr. *Ad gentes*, n. 6).

Canon 3

Missionarii dicuntur sacerdotes saeculares, religiosi et christifideles laici, viri aut mulieres, sive autoctthoni sive exteri, qui cum congrua naturali indole praediti sint ac dotibus et ingenio idonei iudicentur, a legitima auctoritate ecclesiastica ad opus missionale explendum mittuntur (cfr. Decr. *Ad gentes*, n. 23).

Canon 4

§ 1. Missionarii, vitae exemplo ac verbi testimonio, iuxta normas ab Episcoporum Conferentia statutas, dialogum sincerum cum nondum in Christum credentibus instituant, ut ipsis, ratione eorundem ingenio et culturae apta, aperiatur viae quibus ad Christi evangelicum nuntium cognoscendum adduci valeant (cfr. Decr. *Ad gentes*, nn. 11-12).

§ 2. Curent etiam ut quos ad evangelicum nuntium admittendum aestiment aptos, veritates fidei edoceant, habita ratione proprii eorundem ingenio et culturae, ut, libero plene consensu si id petant, ad baptismum recipiendum admitti possint.

Canon 5

§ 1. Qui voluntatem fidem in Christum amplectendi manifestaverint, liturgicis caeremoniis admittantur ad catechumenatum.

§ 2. Catechumeni, per vitae christianae institutionem et tirocinium, apte initiuntur mysterio salutis atque introducuntur in vitam fidei, liturgiae et caritatis populi Dei.

§ 3. Episcoporum, sive singulorum sive in Conferentiis adunatorum, est statuta edere quibus catechumenatus ordinetur, determinando quae-nam a catechumenis sint praestanda atque definiendo quae-nam eis agnoscantur praerogativae (cfr. Decr. *Ad gentes*, nn. 13-14).

Canon 6

Neophyti, cum baptismo regenerati et in populo Dei recepti sint, idoneis institutis ad veritatem evangelicam penitus cognoscendam et officia baptismate suscepta apte implenda efformentur; sincero amore erga Christi Ecclesiam et spiritu oecumenico nutriantur.

Canon 7

Missionarii non tantum curent ut eos pascant qui ad populum Dei iam pertinent, sed et maxime solliciti sint ut evangelicum nuntium eis praedicent qui foris sunt.

Canon 8

§ 1. In opere missionali adimplendo uti cooperatores assumantur catechistae, qui nempe continuo labore sese devovent ut viam evangelizationi parent atque missionariis vario modo adiutorio sint; quare efformentur catechistae, sive in scholis ad hoc destinatis, sive, ubi desint, sub moderamine missionariorum.

§ 2. Ad auxilium praestandum a locorum Ordinariis aut ab ipsis missionariis, de consensu proprii Ordinarii, vocari possunt catechistae auxiliares, qui scilicet ad tempus aut partim operi missionali vires suas dedicant.

Canon 9

§ 1. Iuxta normas ab Episcoporum Conferentia statutas, Episcopi est in suo territorio:

1° promovere, moderari et coordinare quae ad actionem missionalem spectant incepta et opera (cfr. Decr. *Ad gentes*, n. 30);

2° normas edere quae ad praeparationem pastorem suorum missionariorum et catechistarum pertinent (cfr. Decr. *Ad gentes*, passim);

3° curare ut debitae ineantur conventiones cum Moderatoribus Institutorum quae operi missionali se dedicant, utque relationes cum iisdem in bonum cedant Missionis (cfr. Decr. *Ad gentes*, n. 32).

4° operam dare ut etiam in christifidelibus laicis suscitetur spiritus missionarius (cfr. Decr. *Ad gentes*, n. 21).

§ 2. Praescriptis ab Episcopo editis, quae sacri apostolatus exercitium respiciunt, subsunt omnes missionarii, etiam religiosi exempti, eorumque auxiliares in eius ditione degentes.

Canon 10

Episcoporum Conferentiae diversarum regionum opera instituant ac promoveant, quibus qui e terris missionum laboris aut studii causa ad territorium suum accedunt, fraterne recipiantur et congruenti pastoralis cura adiuventur.

IV

DE FIDEI PROFESSIONE

Canon 1 (CIC, cann. 1406 et 1408)

Reprobata qualibet contraria consuetudine, obligatione emittendi professionem fidei, secundum formulam a Sede Apostolica probatam, tenentur:

1° coram praeside eiusve delegato, qui Oecumenico aut particulari Concilio aut Synodo dioecesanæ intersunt cum voto sive deliberativo sive consultivo; praeses autem coram Concilio aut Synodo;

2° (*provisorie*) coram Sacri Collegii Decano, Cardinalibus primis in ordine presbyterorum et diaconorum, et S.R.E. Camerario, promoti ad cardinalitiam dignitatem;

3° coram delegato ab Apostolica Sede, omnes promoti ad episcopatum, itemque promoti ad regimen Abbatiae vel Praelaturae cui proprius est populus, aut ad regimen Vicariatus vel Praefecturae Apostolicae;

4° coram Collegio deputatorum aut Capitulo Cathedrali, ad normam can...., administrator dioecesanus;

5° coram loci Ordinario eiusve delegato et coram Capitulo, qui ad canonicatum promoti sunt aut in Capitulo munus praesidis exercent;

6° coram loci Ordinario eiusve delegato atque coram aliis membris, qui membra eliguntur aut nominantur Consilii presbyteralis aut pastoralis;

7° coram Episcopo dioecesano eiusve delegato, Vicarii generales, Vicarii episcopales, parochi alique quibus committitur officium quod curam animarum amplectitur; rector, professores sacrae theologiae, iuris canonici et philosophiae in Seminariis, initio suscepti muneris; promovendi ad ordinem diaconatus; itemque alii quibus id imponitur decreto sive Apostolicae Sedis sive Episcoporum Conferentiae;

8° coram Ordinario loci in quo sedem habet Universitas vel Facultas aut coram Superiore Instituti religiosi aut saecularis ad quod pertinet Universitas vel Facultas, eorumve delegato, Rector Universitatis vel Facultatis catholicae, initio suscepti muneris; coram eodem Ordinario aut eodem Superiore, eorumve delegato, aut coram Universitatis Facultatisve Rectore, si sit sacerdos, professores omnes Universitatis vel Facultatis canonice erectae, initio suscepti muneris; itemque qui, periculo facto, academicis gradibus donantur;

9° coram Capitulo vel Superiore qui eos nominavit, eorumve delegato, Superiores in Institutis religiosi aut saecularibus clericalibus.

Canon 2 (CIC, can. 1407)

Obligationi fidei professionem emittendi non satisfacit qui eam per procuratorem vel coram laico emittit.

